



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

nedum ut existens, aut futurum, sed neque etiam ut possibile, ab intellectu creato, lumine naturali cognosci possit; ea enim quæ ut possibilia & nullam contradictionem involventia, lumine naturali cognosci possunt, non dicuntur incomprehensibilia & investigabilia, sed ea duntaxat quæ in suo conceptu contradictionem implicare videntur, quam ratio naturalis proprijs viribus & naturali lumine superare non valet: At à Concilio & a SS. Patribus citatis, Incarnationis mysterium incomprehensibile & investigabile dicitur: Ergo innunt illud, nedum ut existens, aut futurum, sed nec etiam ut possibile, posse lumine natura cognosci. Addo quod Apostolus 1. ad Corinth. 2. loquens de hoc mysterio, ait illud in cor hominis non ascendere: quibus verbis satis aperte declarat, illud nullo plane modo, nec ut existens, nec ut futurum, nec ut possibile posse ab intellectu creato lumine naturali attingi. Et D. Augustinus Epistolâ citatâ ad Volusianum, expresse loquitur de possibilitate Incarnationis, dum ait, Deum se incarnando fecisse aliquid quod non possumus intelligere, quomodo Deus id possit.

66. Probat secundò conclusio ratione fundamentali: Lumen naturale intellectus non se extendit nisi ad ea quæ sunt intra ordinem naturæ, aut in esse entis, aut saltem in esse veri & cognoscibilis: Sed possibilitas Incarnationis est supra totum ordinem naturæ, tam in esse entis, quam in esse veri & cognoscibilis: Ergo lumen naturale intellectus, ad possibilitatem Incarnationis se extendere nequit. Major est evidens, quia inter objectum & potentiam debet esse proportio. Minor probatur: Illud est supra totum ordinem naturæ, tam in esse entis, quam in esse veri & cognoscibilis, quod nedum est in sua entitate supernaturali, sed etiam non habet aliquam connexionem cum aliqua causa aut effectu naturali: At possibilitas Incarnationis, nedum est in se supernaturalis, sed neque ullam habet connexionem cum aliqua causa, aut effectu naturali, licet enim nunquam existeret, nec esset possibilis Incarnatio, adhuc res omnes naturales essent eo modo quo sunt: Ergo possibilitas Incarnationis est supernaturalis, & in esse entis, & in esse veri & cognoscibilis.

57. Dices, ex cognitione omnipotentiae Dei quæ naturaliter cognosci & demonstrari potest, posse nos devenire in notitiam possibilitatis Incarnationis, cum per discursum naturalem, ex eo quod Deus est omnipotens, possumus bene inferre possibilitatem unionis inter humanam naturam, & divinam personalitatem.

Sed contra, Licet causâ Incarnationis sit divina omnipotentia, & intellectus creatus naturaliter cognoscat potentiam Dei non esse addictam ad unum rerum ordinem, qualis est ordo naturæ, sed posse aliquid supra totum naturæ ordinem producere, atque adeo inde demonstrativè inferat ens supernaturale in communi sumptum esse possibile; non tamen ex hoc demonstrare potest, hoc vel illud ens supernaturale in particulari, possibile esse, atque adeo ipsam Dei Incarnationem non esse impossibilem: cum enim nullus sit, qui non sit, sicut ipsa Incarnatio, supernaturalis, evidenter lumine naturali intellectus cognosci nequit.

58. Dico secundò: Etiam suppositâ fide & revelatione Incarnationis, non potest ejus possibilitas, naturaliratione demonstrari, sed solum ratione probabili suaderi.

A Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis in præcedenti, nam adhuc suppositâ revelatione hujus mysterij, non potest ratio naturalis, nisi naturales causas & effectus cognoscere: At ex illis nequit naturaliter cognosci possibilitas Incarnationis, ut supra ostentum est: Ergo etiam suppositâ revelatione Incarnationis, ejus possibilitas ratione naturali demonstrari nequit. Quod verò probabiliter suaderi possit, etiam constat, inferius enim per conjunctionem ad superius perficitur intra ordinem proprium, atque adeo et si humana ratio, fidei lumine destituta, rationes probabiles invenire non possit suadentes possibilitatem & convenientiam hujus mysterij, revelatione tamen & illustratione divinâ excitata, eas invenire poterit, unde disputatione sequenti plures illius congruentias seu probabiles rationes adducemus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bicies primò contra primam conclusionem: Incarnationem Dei esse possibilem, nihil aliud est quam ipsam non implicare contradictionem: Sed potest intellectus creatus, solâ naturâ quam ad intelligendum habet virtute, evidenter cognoscere illam non implicare contradictionem: Ergo & esse possibilem. Major constat, Minor probatur primò. Ad evidenter cognoscendum Incarnationem Dei nullam implicare contradictionem: sufficit evidenter solvere omnia argumenta quæ fiunt in oppositum; hoc enim supposito, manifestum relinquitur nullam esse talem contradictionem: Sed potest intellectus creatus, juxta doctrinam D. Thomæ 1. p. quæst. 1. art. 8. evidenter solvere omnia argumenta quæ fiunt contra fidem, atque adeo contra possibilitatem Incarnationis: Ergo potest intellectus creatus, solo lumine naturali evidenter cognoscere Incarnationem Verbi non implicare contradictionem.

Secundò, Tota implicantia contradictionis in possibilitate hujus mysterij excogitabilis, vel se tenet, ut diximus articulo præcedenti, ex parte divinæ subsistentiæ, vel ex parte naturæ create, ad eam, ut fides docet, assumptæ? Sed potest intellectus creatus valde perfectus, qualis est angelicus, solâ quam à natura habet intelligendi facultate, cognoscere evidenter Deum incarnari, nullam involvere contradictionem, nec ex parte divinæ subsistentiæ, quia naturaliter videt, illam habere infinitam virtutem terminativam, atque adeo posse in terminando naturam creatam, illud idem perfectionis præstare quod personalitas creata illi præbet: neque ex parte naturæ create, scit enim scientiâ purè naturali, eam esse realiter distinctam, imò priorem propriâ personalitate, nec non se habere ad illam, sicut rem ad suum modum, atque adeo nullam esse implicantiam quod ab eo per absolutam Dei potentiam separetur, & consequenter divinâ subsistentiâ terminetur: Ergo &c.

Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem, distinguo Majorem: Ad evidenter cognoscendum Incarnationem Dei nullam implicare contradictionem sufficit evidenter solvere omnia argumenta quæ fiunt in oppositum: evidenter positivè, concedo Majorem: evidenter negativè, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: potest intellectus creatus evidenter solvere omnia argumenta quæ fiunt contra possibilitatem Incarnationis: eviden-

ter negativè, concedo Minorem: evidenter positivè, nego Minorem, & Consequentiam.

62. Explicatur solutio: Potest aliquod mysterium demonstrari possibile evidenter duobus modis, positivè scilicet, & negativè. Tunc dicitur demonstrari possibile evidenter positivè, cum probatur medijs naturalibus possibilem esse connexionem prædicati cum subiecto, v. g. Dei cum homine: dicitur verò ostendi possibile evidenter negativè, quando ostenditur nihil reperiri quod evidenter probet illud mysterium esse impossibile, & solvuntur argumenta quæ sunt contra possibilitatem ejus: v. g. si infidelis argueret contra fidelem, hoc modo: *Omnia natura quæ est una numero, est etiam una suppositio: Sed natura divina est una numero: Ergo est etiam una in supposito*: Fidelis autem distingueret Majorem, dicens eam esse veram in naturis finitis, non verò in natura infinita, & assereret nullo modo posse probari de natura infinita, quod sit una in supposito, tunc evidenter negativè probaret possibilitatem mysterij Trinitatis. Si verò præterea ipse fidelis (quod tamen fieri nequit) haberet medium evidens, quo hanc propositionem demonstraret: *Natura infinita potest esse in tribus suppositis realiter distinctis*, in tali casu probaret evidenter positivè possibilitatem mysterij Trinitatis. Dicimus ergo, quod licet intellectus creatus solo lumine naturali solvere possit omnia argumenta quæ militant contra possibilitatem Incarnationis, quia tamen ea non potest solvere evidenter positivè, sed duntaxat evidenter negativè; non potest evidenter cognoscere, vel demonstrare, tale mysterium esse possibile, sed dubitare potest, an aliqua principia naturalia sibi, divinitus saltem, sint occulta, ex quibus aliqua hujus mysterij implicantia deduci possit. Unde

63. Ad secundam probationem, nego quod evidenter positivè lumine naturali intellectus creatus possit cognoscere, Incarnationem non implicare contradictionem, tam ex parte subsistentiæ divinæ, quam naturæ creatæ: licet enim ex parte subsistentiæ Dei cognoscere possit evidenter illam esse infinitam in terminando, dubitare tamen potest, num de ratione essentiali termini naturæ creatæ sit esse modum, vel ens incompletum, cum videat hæc subsistentiæ creatæ convenire. Ex parte verò naturæ creatæ, ex eo quod cognoscat naturaliter, eam esse priorem suæ subsistentiæ, & ab illa separabilem, solum potest inferre, eam per potentiam Dei absolutam, ab hac vel ab illa determinatè propria subsistentia separabilem esse, non verò illam absque omni propria subsistentia posse existere: sicut licet materia, ob distinctionem realem quam habet à forma, possit, de absoluta potentia, absque hac vel illa forma determinata existere, non tamen absque omni, ut docent nostri Thomistæ in physica. Unde ex separabilitate naturæ creatæ à propria subsistentia, non potest intellectus creatus, solo lumine naturali, evidenter demonstrare, possibile esse naturam creatam terminari per divinam subsistentiam, sed ad summum posse hanc subsistentiam destrui, & aliam statim loco illius succedere.

64. Objicies secundò: Incarnatio Verbi est evidenter credibilis, ut de omnibus mysterijs fidei, fusè ostendimus in Tractatu de fide: Ergo etiam est evidenter possibilis. Patet Consequentia arguendo ex opposito Consequentis, ad oppositum Antecedentis: Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: Ergo per oppositum,

A quod est evidenter credibile, est evidenter possibile.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam evidentia possibilitatis mysteriorum fidei, & evidentia credibilitatis, sumuntur ex diversis principijs: Evidentia enim possibilitatis, sicut & veritatis, sumitur ab eo quod est in re, juxta illud commune proloquium: Ab eo quod est in re, propositio dicitur vera vel falsa, possibilis vel impossibilis; evidentia autem credibilitatis non desumitur ab eo quod est in re, sicut nec evidentia probabilitatis, nam multa falsa sunt probabiliora & credibilia veris, ut ait Aristoteles in lib. Rhetor. sed sumitur ab alijs causis extrinsecis, videlicet ex testimonijs aliorum, vel ex signis, & miraculis, vel ex rationibus apparentibus, quibus evidenter ostenditur, rem esse credibilem, aut probabilem. Ad probationem in contrarium, nego illud argumentum: *Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: Ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile*, esse ab opposito Consequentis, ad oppositum Antecedentis, quia evidenter impossibile, & evidenter possibile, non contradicunt, ratione illius adverbij evidenter, sed de eadem re negari possunt, ut patet in rebus quæ cadunt sub opinione, v. g. quod essentia potest separari de potentia absoluta à proprietatibus; hoc enim nec est evidenter possibile, nec evidenter impossibile: quare ut argumentum esset ab opposito Consequentis, ad oppositum Antecedentis, deberet sic formari: *Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: Ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossibile*, quod totum admittitur.

Objicies tertio: Quod Deus præcisè ut author naturæ evidenter cognoscit, potest evidenter ab intellectu creato lumine naturali cognosci: Sed Deus præcisè ut author naturæ, evidenter cognoscit possibilitatem suæ Incarnationis: Ergo intellectus creatus potest lumine naturali eam evidenter cognoscere. Major videtur certa, sicut enim Deus potest communicare, imò de facto communicat intellectui creato lumen supernaturale, cujus virtute evidenter cognoscit illud de quo ipse, ut author supernaturalis, habet evidentiam; ita similiter poterit eidem intellectui lumen naturale infundere, quod sufficiat ad evidentem eorum cognitionem, quæ ut author naturæ præcisè videt & intuetur. Minor verò probatur: cum Deus, etiam ut author naturæ præcisè, comprehendat suam subsistentiam, quia videlicet ut talis comprehendit ea omnia quæ naturaliter sunt cognoscibilia à creatura, inter quæ numeratur ejus subsistentia, videt eam posse naturam creatam terminare.

Pro solutione hujus objectionis, adverte quod cum distinctio Dei & cognitionis ejus ut authoris naturæ, & ut authoris supernaturalis, sit solum ex parte effectuum, ab eo in illis duobus ordinibus productorum & cognitorum, non verò ex parte virtutis productivæ & cognoscitivæ; Deus enim dicitur author naturæ, non quia in ipso sit aliquid naturale; sed quia producit & cognoscit effectus naturales, quamvis potentia & scientia supernaturali; ideo nihil dicendum est ab eo præcisè ut authore naturæ cognosci, nisi quod habet rationem effectus illius in ordine naturali. Hoc posito, Respondeo ad argumentum, negando Minorem, & ad ejus probationem dico, falsum esse quod Deus ut author naturæ cognoscat suam subsistentiam, atque adeo virtutem

virtutem quam habet ad terminandum naturam creatam; cum enim, ut mox dictum est, non dicatur author naturæ, nec in quantum talis præcise aliquid cognoscere, quia ei conveniat aliqua virtus naturalis cognoscitiva & productiva, sed solum quia illud quod à Deo cognoscitur & producitur, est ejus effectus intra ordinem naturæ, eo ipso quod ejus subsistentia non sit ejus effectus, nec intra ordinem naturæ comprehendatur, quamvis eam naturaliter quoad existentiam cognoscat intellectus creatus, non potest tamen dici, quod Deus, ut author naturæ præcise, eam ullo modo cognoscat.

63. Obijcies quartò contra secundam conclusionem: Angelus naturali lumine potest cognoscere existentiam Incarnationis postquam facta est: Ergo & à fortiori possibilitatem ejus. Consequentia patet, Antecedens probatur. Intellectus angelicus cognoscit naturaliter humanitatem Christi non terminari creatâ subsistentiâ, cum comprehendat omnia naturalia, inter quæ tamen videt non esse subsistentiam creatam ejusdem humanitatis: Ergo cum certò sciat, nullam subsistentiam, præter divinam & infinitam, posse terminare alienam naturam, statim colligit humanitatem Christi esse elevatam ad subsistentiam divinam, quod est nosse mysterium Incarnationis.

69. Confirmatur: Angelus naturali lumine evidenter cognoscit humanitatem Christi existere per existentiam divinam: Ergo eodem lumine potest cognoscere eam subsistere per divinam subsistentiam. Consequentia evidens est, paritate rationis; non minus enim est supernaturalis humanitatem Christi existere per divinam existentiam, quam illa per increatam. Verbi personam subsistere & terminari; unde si primum potest ab Angelo naturali lumine cognosci, secundum etiam poterit eodem lumine attingi, non obstante ejus supernaturalitate. Antecedens verò probatur, Angelus intuitivè cognoscit Christi humanitatem: At non posset eam sic cognoscere, nisi evidenter cognosceret eam existere divinâ existentia, cum intuitio sit clara & distincta rei ut existentis cognitio: Ergo Angelus evidenter cognoscit humanitatem Christi existere per existentiam divinam.

70. Confirmatur amplius: Dæmones cognoverunt certò Christum esse verum Deum & hominem: Sed non per aliud lumen quàm naturale, cum per peccatum omnibus donis gratuitis & supernaturalibus spoliati sint: Ergo Angelus naturali lumine potest cognoscere existentiam Incarnationis, postquam facta est. Minor patet, Major verò probatur ex eo quod Dæmon dicebat Christo Luca 4. *Scio te quis sis, Sanctus Dei.* Et infra subdit, *Exibant autem demonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

71. Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, ad cujus probationem dico quod quamvis Angelus non videat in humanitate Christi subsistentiam propriam & creatam, seclusâ tamen revelatione Dei, qui illi manifestet eam in Verbo subsistere, non potest certò & evidenter cognoscere humanitatem Christi ad increatam Dei subsistentiam elevatam esse: Tum quia rationabiliter dubitare potest, an Deus utendo potentia suâ absoluta, subsistentiam creatam & propriam humanitatis Christi ipsi occultet, seu concursum ad eam cognoscendam denegat: Tum etiam, quia

Tom. I V.

A naturali lumine non potest certò cognoscere, a supposito increatum possit terminare naturam humanam, absque eo quòd in Deo ponatur aliqua imperfectio. Unde boni Angeli non videntes in Christi humanitate propriam subsistentiam, suspendebant iudicium de ejus divinitate & subsistentia increata; mali verò illud præcipitabant, & modò in unam, modò in alteram partem propendebant.

Ad primam confirmationem, nego Antecedens, ad cujus probationem, concessâ Majori, nego Minorem; licet enim Angelus intuitivè cognoscat Christi humanitatem, non tamen propterea evidenter cognoscit illam existere existentia divinâ. Ad illud verò quod adducitur in contrarium, dicendum est, non esse de ratione cognitionis intuitivæ, quod attingat rem ut existentem formaliter, sed solum quod terminetur ad illam subsistentiam, ut patet in visione externa, quæ est intuitio sui objecti, & tamen non terminatur ad illud ut existens formaliter, cum existentia sit extra latitudinem objecti potentia visiva: unde ad hoc ut Angelus intuitivè cognoscat Christi humanitatem, sufficit quod ejus cognitio ad illam existentem terminetur, nec requiritur quod cognoscat illam formaliter ut existentem existentia divinâ.

Ad secundam nego Majorem cum D. Thoma infra quaest. 41. art. 1. ad 1. sic dicente: *Christus tantum innouit demonibus, quantum voluit; non per id quod est vita æterna, sed per quedam temporalia sue virtutis effecta, ex quibus quandam conjecturam habebant Christum esse Filium Dei; sed quia rursus in eo quadam signa humane infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse Filium Dei, & ideo dæmon eum tentare voluit &c.* Similia habet opusc. 60. cap. 1. ubi hæc scribit: *Dæmones non cognoverunt Christum certitudinaliter, propter infirmitatem carnis quam in ipso videbant, sed conjecturaliter, propter opera quæ divinitus faciebat: Vnde super illud Luca 4. Scio quod sis Sanctus Dei, dicit Glossa, id est, vehementer opinor: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent, id est, Crucifigi suggessissent, ut dicit Glossa 1. ad Corinth. 2. Vnde Rabanus super illud Matth. 27. Multa passa sum per visum propter eum: Tunc diabolus dæmon intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primò per mulierem mortem intulerat, ita modo per mulierem vult Christum de manibus Judæorum liberare, ne per ejus mortem mortis amittat imperium. Hæc S. Doctor, quibus verbis aperte docet & probat, Dæmones non habuisse certam, sed tantum conjecturalem de Christi divinitate notitiam: licet enim ex revelatione quam habuerant, dum erant viatores, scirent Deum esse incarnandum, nesciebant tamen, an ista humanitas in individuo esset à Verbo assumpta, sed de hoc ob diversas rationes & conjecturas dubitabant, & modò in unam, modò in alteram partem propendebant. Unde quando Luca 4. Dæmon Christo dicebat, *Scio te quis sis, Sanctus Dei,* & quando dæmonia clamabant, *Tu es Filius Dei,* hoc dicebant solum dubitanter, & exploratoriè, seu ut rem de qua dubitabant, explorarent. Nec obest quod ibidem Evangelista subdat, *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum:* nam particula quia, non sumitur ibi causaliter, sed historialiter, & recitative: ita ut Lucas illam induxerit, non ad dandam rationem ob quam Christus non sinebat loqui dæmonia, sed ad explicandum*

F ff

quid erat illud quod Christus non sinebat ea loqui; quare horum verborum sensus est, Christus non sinebat demones dicere, se scire quod ille esset Filius Dei: quod Christus ideo prohibebat, tum quia illi mentiebantur, cum hoc non certo scirent, sed dubitanter; tum etiam, quia id solum dicebant ad explorandum, juxta illud Ambrosij: *Explorando tentabant, & tentando explorabant.*

DISPUTATIO III.

De Convenientia Incarnationis.

Ad articulum 1. quæst. 1.

Quamvis mysterium Incarnationis sit possibile, non tamen inde sufficienter habetur, illud esse convenientem; quandoquidem multa sunt possibilia, quæ tamen non sunt convenientia. Unde olim quidam hæretici (teste Tertulliano initio libri de carne Christi, & Athanasio in orat. ad Adelphium) existimantes Incarnationem Christi esse possibilem, dicebant, illam non esse Deo convenientem, sed potius supremam ejus maiestate indignam: Quare egregie idem Tertullianus: *Apud sapientiam secularem, citius creditur Iupiter taurus, quam Christus factus homo.* Utergo illorum hæreticorum insaniam refellamus, & mundanæ sapientiæ, quæ apud Deum stultitia est, sophismata diluamus, hanc disputationem instituimus, in qua mirabiles hujus mysterij convenientias breviter exponemus. Prius tamen implorata divini Numinis ope: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloria, det nobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis nostri, ut sciamus quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloria hereditatis ejus.* Ad Ephesios 1.

ARTICVLVS PRIMVS.

An convenientis fuerit Deum incarnari?

Quia convenientia omnis, vel est quædam habitudo, sive relatio, vel saltem sine illa explicari nequit: mysterium autem Incarnationis dicitur habitudinem ad Deum, ad naturam humanam, & ad alias creaturas, sive ad totum universum, utpote contentum aliquo modo in homine, scilicet tanquam in epilogo sui, ut loquitur Philo, ideo de convenientia ejus per respectum ad illa tria agendum est. Unde

Dico primò: mysterium Incarnationis esse convenientem Deo. Ita D. Thomas art. 1. quæst. 1.

Probat primò ratione quam ibidem in corpore articuli insinuat, & quæ sic breviter proponi potest. Convenientem est summo bono se summo modo communicare: Deus est summo bonum, & se summo & perfectissimo modo per Incarnationem communicat: Ego illa est convenientem Deo. Majorem probat D. Thomas ex D. Dionysio cap. 1. de divin. nomin. dicente bonum esse sui diffusivum. Minorem verò ostendit ex eo quod Incarnatio sit perfectissima, & maxima omnium communicationum Dei ad extra, quandoquidem per illam Deus ita se communicat homini, ut fiat unum substantialiter cum illo; & naturam creaturæ sic sibi conjungit, ut

A una persona fiat ex tribus, Verbo, animâ, & carne, sicut dicit Augustinus 1. de Trinit.

Pro majori hujus egregij discursus elucidatione, in primis observandum est, Deum se communicare dupliciter, primò ad intra, & ab æterno; secundò ad extra, & in tempore. Primo modo Pater æternus communicat suam essentiam Filio, per generationem, & Pater & Filius Spiritui Sancto, per mutuam spirationem & dilectionem: secundo modo se communicat creaturis quadrupliciter, nimirum in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostatice; quæ quatuor genera communicationum designari & adumbrari videntur, per quatuor illa flumina in quæ fons paradisi terrestris dividebatur, & quibus universæ terræ superficies, nullis adhuc imbris, nullis aquis fecundata, initio mundi rigabatur.

Porro inter illas hoc versatur discrimen, quod in duabus prioribus, Deus tantum sua bona largitur; in ordine quidem naturæ, bona naturalia, & creaturis connaturaliter debita, esse, vivere, intelligere, essentiam, facultates, & potentias, aliæque similia ad donum creationis vel conservacionis pertinentia; in ordine verò gratiæ, dona gratuita, seu creaturis indebita, & ad ordinem supernaturalem spectantia; puta gratiam sanctificantem, virtutes infusas, dona Spiritus Sancti, & auxilia supernaturalia: At in posterioribus, non solum bona & dona sua, sed etiam se ipsum communicat; cum hoc tamen discrimine, quod in ordine gloriæ se communicat solum in esse intelligibili & intentionali, uniendo suam essentiam per modum speciei & formæ intelligibilis mentibus beatorum, lumine gloriæ perfusus: in ordine verò hypostatice se ipsum communicat in esse naturali & entitativo, quatenus suam naturam & substantiam, substantialiter & personaliter humanæ naturæ conjungit.

Secundò advertendum est, communicationem aliquam posse dici majorem duobus modis, intensivè scilicet & extensivè: dicitur major primo modo, quando aliquid nobilius & perfectius communicatur; secundo verò, quando ad plura subiecta seu supposita se extendit. Unde communicatio ordinis gratiæ, est major priori modo communicatione ordinis naturæ, cum bona supernaturalia sint multò nobiliora & perfectiora naturalibus: è contra verò communicatio ordinis naturæ, potest dici major posteriori modo, communicatione ordinis gratiæ: cum illa ad omnes universi creaturas se extendat, ista verò Angelis & hominibus peculiaris sit, & cum, ut ait Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli, *Communis sit omnibus natura, non gratia.*

Ex his facile intelliges, quomodo communicatio quæ facta est in mysterio Incarnationis, sit omnium maxima, tam intensivè, quam extensivè: intensivè quidem, cum illud quod humanitati assumptæ communicatur, nempe ipsa substantia increata Verbi, sit infinitæ dignitatis & perfectionis, & omnia bona ac dona ordinis naturæ, gratiæ, & gloriæ in infinitum superet: extensivè autem, cum non solum ad homines & Angelos, sed etiam ad omnes universi creaturas, in homine velut in epilogo contentas, quodammodo se extendat. Unde Joan. 3. Incarnatio dicitur facta, non solum ex amore hominis, sed etiam ex dilectione totius mundi: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret!* quia nempe per Incarnationis mysterium, non solum natura humana, sed etiam omnes aliæ creaturæ